

1767.35.

892

DE
C O N S I L I O
V E T E R V M I V R E C O N S V L T O R V M
I N C O N I V N G E N D I S N O M I N I S
A C R E I D E F I N I T I O N I B V S
E X E R C I T A T I O N E M I V R I S C I V I L I S
I L L . I C T O R V M O R D I N I S I N D V L T V

P R A E S I D E
I O H . T H E O P H I L O S E G E R O
I V R I S S C I E N T I A E E T P H I L O S O P H I A E D O C T O R E
C O D . A N T E C E S S O R . O R D I N A R . S U B S T I T
C O L L E G I O I C T O R V M A D S C R I P T O

A . D . X V I I I . A P R I L . A N . C I C I O C C L X V I I .

A D D I S C E P T A N D V M P R O P O S V I T

A V C T O R

C H R I S T I A N V S F R I D E R I C V S I O B
C H E M N I C E N S I S

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E

DE
C O N S I L I O
A E T E R N A M I U R E C O N S U L T O R I V M
I N C O N V I N C E N D I S N O M I N I S
A C R H I T O F F I C I O N I V M
E X C O N S U L T A T I O N I V M I A R I S Q U A R I
M I L E T O R I V M O R D I N I S I N D A V A
S R A V E S I D E S
I O N T H E O P H I L O S P R E G T R O
T H I R Y S S O F I N T A I T A T H I R G O P H I N I A K
D E S T R O D E S T R O D E S T R O D E S T R O
G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A .
G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A .
G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A .
G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A . G O D A N T I A N A .
A V E T O R
C H R I S T I A N A S P R I V I D E N C I A S I O

F I L I S I A T E
T H I R Y S S O F I N T A I T A T H I R G O P H I N I A K



§. I.

Definitionis vocabulum, si originariam eius indagamus significationem, mensorum, et agrorum metatorum, quibus latifundia decempedis definitibus, agrosque intra certos limites includentibus, idem ac metatio erat, proprium est: a quibus ob rationis similitudinem veteres dialectici atque iurisperiti illud in scientiam suam receperunt, eique duplum significatum tribuerunt. Interdum enim rei descriptionem, sive talem, qua ab omnibus aliis omni tempore et loco res possit distingui, denotat, sive aliqualem tantum, licet ad rem discernendam minus semper idoneam: interdum vero regulam, id est, generalem iuri positionem, qua omnes vnius generis caussae decidi possint, significat. Hac enim significatione regula Catoniana a Celso *l. I. de Reg. Cat. et Mucii*, quae inter regulas antiqui iuriis refertur sententia *l. 37. §. 2. D. de Reg. Iur.* ab Vlpiano definitio appellatur. Sic ipse Vlpianus regulariter definit, et Iulianum regulariter definitem excitat. *l. 9. D. de hered. petit. l. XXV. §. V. D. de usufr.* Vetustissima, praeter quam nullius celebrior in iure exstat memoria, ea est regula, quae M. Porcio Catori, M. Catonis Censoris filio, propterea, quod Pomponius plurimos ait eius de iure ciuili suis liberos, tribuitur quae ipsa auctoris sui nomen perpetuae tradidit memoriae. Quamuis vero iam ea aetate hoc regularum artificium usitatum, sensimque plures regulae, Catoniane similes, inuentae concinnataeque esse videantur: patum tamen eas iuris Civilis studia ad-

❖ ❖ ❖

iuuare potuisse veri simile est, cum vagae nec vlo volumine colle-
ctae circumferrenrur. Itaque huius rei, postquam Catus Aelius Sextus, egregie cordatus homo, velut Ennius eum laudat,
et isti tres viri Publius Mucius, Brutus et Manilius, editis palam
libellis fundare cooperant ius Ciuale, primus periculum fecit
colligendo omnium regulas in foro receptas, quarum quatuor
hodienum in Digestis reperiuntur *I. LXIV. D. de acquir rer dom.*
I. VIII. D. de aqu. quot. et aestio. I. CCXLID. de V. S. I. LXXIII.
de reg. iur. singulari libro, quem ὁμων inscripsit, Q. M. Scaeuola
P. fil. Pontifex Max. I. II. §. XLI. D. de Orig. iur.

Sed ad alterum regularum genus redeamus, nempe ad eas
Veterum Iure Consultorum definitiones, quibus notas cuius-
que rei, ad eam ab omnibus aliis discernendum idoneas, com-
plexi sunt, quas quidem paulo curiosius examinare animus est.
Quanquam vero Q. Mucius ille, quem diximus, ius Ciuale pri-
mus constituisse fertur, generatim in libros duodeuiginti id re-
digendo *I. II. §. XLI. de Orig. Iur.* istique tres viri supra noini-
nati, ille decem, iste septem, hic vero tribus libellis, nec non
Cat. Aelius Sextus in tripartitis ius Ciuale fundare cooperant,
vix tamen ante Seruium Sulpicium aliquis reperiri poterit, qui
huiuscmodi definitiones confecerit. Hic enim postquam
orandis caussis sese primum dedisset, a Q. Mucio vero, propter
iuris Ciuilis ignorantiam esset obiurgatus, et quam turpe habeat-
ur patricio, et nobili et caussas oranti, ius in quo versaretur
ignorare, *I. u. §. XLIII. de Orig. Iur.* admonitus, totum se iuris
patrii studiis consecravit, ac eosque in illis profecit, vt Cicero
eum primum in iure appellat atque artem in eo uno fuisse tradat.
Brut. c. 41. Quod eo pertinere omnes consentiunt, vt in eo Diale-
cices

◆ ◆ ◆

et ices usum ad ius Ciuale translatum Tullius admiretur, cuius quidem magistri cuiusque rei tractandae initium a definitione capiendum esse praecipiunt. Cuius rei praeclarum exemplum habemus definitionem tutelae, in qua acumen auctoris hodie-que potest perspicere. Postmodum vero iure Ciuali in artis disciplinaeque formam redacto, et philosophia magis adulta nemo veterum cum aliqua laude in iuris ciuilis arte versatus est, quin vel definitiones ab anterioribus traditas fiamauerit, vel ad illas notauerit, vel nouas concinnauerit, ut passim ex libris eorum ad nostra usque tempora membratim seruatius intelligitur. Sicut autem plerumque fit, ut vel nimia efferamus laude rem memo- ratu vix dignam, vel in contrariam partem peccantes, longe meliorem alteram censoria notemus virgula: sic veteres iure consulti harum plerumque definitionum caussa, in quibus con- ficiendis suos multis superant parasangis censores, perperam solent reprehendi.

§. III.

Inquirenti vero in caussas, cur hodierni veterum definitio-nes passim improbent, prima illarum videtur latinarum literarum ignorantia esse. Etenim meridiana luce clarior est, verborum etiam potestatem usum hominum sensim sensimque imminui. Cum autem veteres iureconsulti ad sui quisque temporis loquendi rationem se componeret, haud aliter euenire potuit, quam ut no-stri vocabulorum interdum vim ex locis scriptorum non aequalium aestimantes, nec eius temporis usum respicientes, quo quisque definitor vixerit, optimas veterum definitiones et rei maxime consentaneas haud raro parum aptas esse crediderint. Alii in eo errarunt, quod omnes rerum descriptiones, quae passim apud veteres occurrunt, pro idoneis atque plenis definitionibus

A 3

esse



esse ab auctoribus suis traditas putauere. Veteres enim saepissime aliqualem tantummodo rei descriptionem attulerunt, talem quidem, qualem consilio suo et loco arbitrarentur sufficere, absque ullo animo rem, cuius in transitu mentionem iniicerent, ita, ut ab omnibus aliis discerni quoquo loco et tempore posset, definiendi. Praeterea in verborum notationibus domesticas eorum origines veteribus iurisconsultis p[re]eplacuisse et plus momenti ad probationem habere vias esse, V.D. obseruauerunt. Quam ob caussam saepissime vocabulorum natales, quae Graecis deberentur, maluerunt in solo patrio reperire. Sic Ulpianus etiam si bene gnarus, donum a Graeco δῶρον esse, quod et PAVLVS I. XXXV. de mort. causs. don. tradidit, tamen a donando dictum affirmat. I. XCIV. de V. S. Deinde, nisi me omnia fallunt, inter caussas coniectae in veterum definitiones contumeliae connumerari etiam debet hominum recentiorum incuria, qui non obseruarunt veteres compendii caussa idoneis locis definitiones amare transilientes. Ne enim lectores defatigarentur alios atque alios euoluendo libros, neque in legendō ac meditando impedirentur, genus seu speciem intellectū difficultē simul cum re ipsa definiebant. Hac ex ratione constans ac perpetua voluntas, non virtus, suum cuique tribuendi, illis dicebatur iustitia, et alio loco, non philosophiam, sed rerum diuinarum humanarumque notitiam, iusti iniustique scientiam nominabant iurisprudentiam. Nec solis elusmodi definitiones iurisperitis propriae, sed et aliis veterum scriptoribus cognitae atque ab illis visitatae sunt. Simili enim modo ab his temperantia definitur, constans et perpetua voluntas in cupiditatibus moderandis, regendisque animi motibus, et constans ac perpetua voluntas in superandis difficultatibus fortitudo. Quis queso ideo notet veteres? id quod multi tamen fecere.

fecere. Porro aliis ea ex ratione veterum displicerunt definitio-
nes, quod omnes ex illis tropos reici satis inepte voluere,
quos tamen veteres non semper euitate studuerunt. Quis vero
vituperet eloquentiam sine vlo perspicuitatis damno cum veri-
tate et subtilitate finitionis coniunctam?

Tandem ex hodiernis quidam quilosophis ac iureconsultis,
singulare veterum antificum, quod in coniungendis nominum
et rerum definitionibus cernitur, nequeunt ingenio suo conci-
pere, de qua quidem non infremente illorum reprehendendo-
rum causa sigillatim exponere instituimus. Duplex nostrates
definitionum genus fecere, earum, quae notiones distinctas atque
plenas afferunt, alterum; alterum vero illarum, quae indolem rei ac
naturam declarant, quoque modo res fieri et oriri possit, ostendunt;
quarum illas quidem nominum, has rerum definitiones vo-
cant. Eandem, si vocabula respicias, veteres quidem diuisionem
constituerunt, sensu autem significatiisque plane diuerso. No-
minum enim definitiones grammaticas faciebant, eas autem, quas
nostris verborum vocant definitiones, altero realium genere com-
prehendebant. Ad prioris commatis definitiones quod attinet,
eas triplici modo dicebant fieri; vel quam habeat nomen originem,
et a quibus vocabulis sit profectum simplicioribus, demonstrando,
quam dicunt ἐτυμολογία, siue vertente Cicerone notationem,
siue verborum explicationem. *Topic. VIII. et Quaest. Acad. I.*
c. 10. vel rem definiendam ab aliis studiose segregando, quibus
idem nomen loquendi ratio attribuerat, atque haec erat ὀμωνυμία
vel denique omnia colligendo et afferendo, quam συνονυμία vo-
cant. cf. S. V. ERNESTI *Init. doctr. solid.* Extremae rationes
exemplum est descriptio doli *I. i. §. 2. Pand. de Dolo malo*, atque
ea



ea quidem ad praeripiendam verbi obtentu calumniosae excusationis aut oppressionis materiam malis hominibus, quam maxime ob caussam doli definitori placuit, vtilissime adhibetur. In omne igitur nominum definiendorum studium, quantum illud ad declarandam rei notionem adferat vtilitatem, probe expenden tes, curiose incubuerunt iurisconsulti Romani, licet notatione saepius vterentur, homonymia atque synonymia rarius, vtpote quarum haud tantus, quantus vsus illius. Habet autem haec consuetudo inuestigandae verborum originis, quam teste Scipione Gentili Plautus veriuerbium, Cuiacius autem eadem ratione veriloquium appellat, ortum a Stoicis. Hi enim studio sime, vnde descendenter verba, exquisiuerunt, tametsi etiam ea ex caussa saepius in illis deriuandis ineptientes. Cuius asserti fidem praeclari auctores faciunt. Sic Tullius, vbi oppidi notationem tradidit, oppidum, inquit, vt imitemur ineptias Stoicorum, quod opem daret. et de Offic. l. 1. c. 7. Fundamentum est autem iustitiae fides, id est, dictorum conuentorumque constantia et veritas, ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, vnde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem. Quanuis vero non negandum sit, multos, et si non omnes, quod plurimorum patet exemplis, imbutos fuisse Stoicorum philosophia iureconsultos, tamen concedi nequit, eos istorum tantum ineptias in originibus inuestigandis esse aemulatos. Etenim prudentissime elaborauerunt, ne iuris ciuilis vocabula, a quibus quaeque profecta initiis in ciuitatem Romanam et in forum venissent, ignoraretur. Nec curae admodum illis ea quaestio fuit, vt verba Scipionis Gentilis edictissimo originum libro afferam, num nomina θέατρον an θέατρον constarent

* * *

constarent. Hoc negligentes Grammatici Vlpiani etymon, cui
nimirum ius a iustitia est appellatum, mirum in modum turba-
runt *I. I. D. de iust. et iur.* Bene vero ab ALBERTO BOLO-
GNETTO *de lege, iure et aequitate c. 12.* obseruatum est, a
iustitia, prout legum obiecto, non posse appellari ius, sed mo-
raliter a Dea Iustitia, quae et Astraea dicitur. Quam quidem
explicationem Chrysippus apud GELLIVM *I. 14. c. 4.* videtur
que legis suadere contextus cf. SELVAGHIVS *de origine, etymo,*
et praestantia Pandectarum. Ex quibus facile intelligitur, qua-
ratione efficere studuerint veteres iureconsulti, ut nominis ex-
plicatio quandam haberet cum rei definitione moralem cognationem, illamque magno ingenii acutamine cum hac artificiose con-
iunxerint.

§. V.

Sed paulo attentius videamus eius instituti caussas ac ra-
tiones. Certe vnaquaque res non melius videtur explicari posse
cognituque reddi facilior. Negare quidem non ausim, illam no-
tandorum verborum rationem interdum lubricam esse atque falla-
cem, cum incertas saepe et dubias persequamur origines.
Praeterea usus loquendi originariae et nativae vocabulorum fa-
cilitati tanquam lex quaedam mox surrogat, mox obrogat, sae-
piissime derogat. Surrogat primo nominis notioni, si ultra,
quam eius origo patitur, aliquid adiicit. Sic CAIVS *I. 233. de*
V. S. Telum, ait, vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu
mittitur, sed nunc omne significat, quod mittitur manu: et
ISIDORVS *I. 15. c. 11.* Tabernae olim vocabantur aediculae ple-
beiorum paruae et simplices in vicis, axibus et tabulis clausae:
vnde et tabernariae, quod ibi soleant confidere. Dictae autem

B

tabernae,



tabernae, quod ex tabulis ligneis erant constructae: quae nunc,
 et si non speciem, nomen tamen pristinum retinent. Obrogat
 deinde, si significatio partim mutatur. Riuus exempli gratia se-
 cundum suam originem aquam denotat fluentem absque omni
 opere manufacto: Consuetudo vero loquendi riuos dicere
 maluit, qui hominum opera facti sunt. Hinc **VLPIANVS l. i.**
§. 2. de riuis: riuus est locus per longitudinem depresso: quo
 aqua decurrat; cui nomen est *ἀπὸ τῆς γῆς*, belleque conuenit
 illud Festi: riuus vulgo appellatur tenuis fluor aquae, non ope
 consilioue factus, verum naturali suo impetu. Sed ii riu di-
 cuntur, qui manufacti sunt, sive super terram, fossa, sive
 subter, specu, inciliue: cuius vocabuli origo ex Graeco
 pendet. Derogat tandem saepissime usus pristinae verborum
 atque originariae vi, si partem tollit et de priori significatu
 aliquid detrahit, ita ut verbi significatio ratione originis latior
 sit, quam rei. Sic *l. 7. D. de furt.* Fur a ferendo dicitur, non
 autem quilibet qui fert fur est. Hoc Menagium fefeller vide-
 tur, qui a Gellio seductus hanc respuit notationem, atque a
 Graeco Φωρ δictum esse existimat. Huius autem rei ratio in
 eo cernitur, quod generis loco notatio est, ipsum vero nomen
 speciei, quo fit ut ab illa ad hoc adfirmative, ut loquuntur,
 non licet argumentari, quia non continuo ponitur posito ge-
 nere species: negatiue licet, quod remoto genere et remoue-
 tur species. Verum enim vero exemplum vix reperiri poterit,
 quo in totum originariam significationem abroget usus, et ita
 quidem, ut originis uestigatio plane nihil momenti habeat ad
 intelligendam rei vim, ex quo sequitur, ut notatio, licet non
 nunquam, quin saepius forte, tota verborum facultas, multorum
 temporum usu firmata ex illa non omnino perspiciatur, semper
 tamen

+ + +

11

tamen ad eius cogitationem suppeditet adminicula, nec hac ex causa sine magno suscipiatur fructu. Quod recte iudicauerunt doctores superioris seculi, ineptiores autem Stoicis euaserunt, cum impari solertia veteres imitari tentarent. Nam omni elegantia orationis remota fastidiosum lectorem Etymologiis, Omonymis atque Synonymiis aceruatim allatis in cuiusque libelli exordio miserrime fatigabant, et ab omni lectione facillime deterrebant. Qua in re nunquam peccauerunt veteres, eiusmodi minutias sparsim et idoneis locis afferentes, ut quisque earum vsum ad confirmandam dictorum veritatem cum voluptate perspiceret. Certe quo quis antiquior est, eo etiam in vocabulis notandis solet esse felicior. Paullum audiamus *l. 35. de mort. causs. don.* vbi dicit: *donatio dicta est a dono, quasi dono datum, rapta a Graeco.* Nam hi dicunt δῶρον ναὶ δωρεᾶται δῶρον vero Graecis est palma, unde et munera δῶρα dicuntur, quod manu dantur. Hinc et recte Theophilus donationem definit traditionem rerum de manu in manum. Certe illa Paulli notatio adcuratior altera est Isidori *l. 4. c. 24.* Dictam autem, inquietis, donationem dicunt, quasi doni actionem. Videatur omnino **SCIPIO GENTILIS in originibus**, cui me ob viri praestantiam, cum melius, quae dicenda essent, effari nescirem, aliquos locos sublegisse, libertissime profiteor.

§. VI.

Sed et alia etiam ratio longe maior et ad laudanda studia veterum iurisconsultorum insignior, cur notationes verborum in iure ciuili necessarias, atque ad legum facultatem sentiendam efficacissimas arbitremur. Etiamsi enim, ut dictum est, non unius cuiusque verbi significatio in originaria potestate substituit,

B 2

verum

+ + +

verum usus eam frequentissime immutauit, quem verbis legem imponere non ambiguum est, tamen eiusmodi mutationes maxime in vulgaribus verbis accidunt; at longe aliter se res habuit in iis iuris ciuilis vocabulis, quae semel in forum introducta, iudicium prudentumque auctoritate legitima ac ciuilia facta essent, quorum originarius significatus nunquam aut rarius imminutus fuisse obseruatur. Cuius quidem rei vera ratio in formularum honore ponenda est, et in eo, quod antiqua quam maxime seruabantur. Vnde fieri sane oportuit, ut verba illa legitima, quam semel potestatem nacta essent, eam constantissime retinerent. Quid? quod ne licebat quidem horum mutare significatum, quum summo periculo esset in agendo error commissus. Nouimus enim veteres tam diuersos eius rei exactores fuisse, vt qui formula caderet, eum causa simul cadere dicerent. Deinde etiam pleraque negotia priuata certis ac perpetuis formulis erant peragenda, vt vix vocabula ista videantur mutationem subire posse. Nec hoc, nisi me omnia fallunt soli proprium est iuri Romano; cernimus enim idem in iuris Germanici prudentia. Adeat, qui contrariam sententiam tenet, iudicia nostra, ibique intelligat, antiquissima vocabula eodem, qui originarius est, quemque multos ante annos habuere, significatu constantissime adhuc obseruari atque usurpari.

§. VII.

Sed veteres iureconsulti in definitionibus conficiendis verba secundo non rationem ipsam deseruerunt, verum in ea re fidelissime Dialecticorum praecepta secuti sunt. Hi enim has omni definitioni ponunt leges: primam scilicet, ut ad rem melius

melius intelligendam nominis notatio rei definienda prae-
 mittatur, de cuius obseruatione in artis nostrae libris classi-
 cis conspicua assatim diximus; deinde ut brevis sit: postea
 ut non tam quid res non sit, quam quid sit, explicet, quam
 quidem cautionem verissimam esse, negari non potest, hac
 tamen adhibita limitatione, ut non in vniuersum valeat: deni-
 que; nam reliquas consilio praeteribimus, quia generalibus illis
 regulis tanquam partes contineri videntur; ut ab omnibus aliis
 res definienda possit omni tempore et loco discerni, quod pri-
 mum est Ciceronis praeceptum in *Topic. c. 6.* Cum sumferis
 ea, quae sunt rei, quam definire velis, cum alia quacunque
 communia, non in iis subsistere, sed eo usque prosequi, do-
 nec efficiatur aliquid eiusmodi, quod sit rei ita proprium, ut
 in aliam nullam cadere aut transferri possit. Quae plenior
 igitur definitio erit illa, quae et rem et nomen breui compen-
 dio sic explicat, ut tam huius significatio ponatur certa, quam
 illa ab omnibus aliis omni tempore atque loco possit secerni.
 Ex his tribus enim perfecta cognitio paratur, (verba sunt scri-
 ptionis gentilis) ut in Epinomide Plato, si substantia,
 si nomen, si definitio cognoscatur, substantiam intelligo sive
 essentiam, qua quaque res est, nomen, quo notatur, et defi-
 nitionem, qua, quid sit, explicatur., Veteres vero iurecon-
 fulti in definiendis rebus ne his quidem regulis contenti fuere, sed
 faepissime rem vtroque modo, quem scilicet hodierni praecipiunt
 Dialetctici descripserunt, quumnon solum distinctisnotis ac plenis
 rei essentiam designarent, sed et quo res modo fieri et oriri, quosque
 effectus possit fortiri, id quod officium dicebant, ostenderent.
 Inprimis autem operam dederunt, ut nominis notatio sic

+ + +

coniungeretur cum rei definitione ut uno verborum contextu atque elegantissimo breuiusculae orationis compendio ambarum significatio posset intelligi. Quare Iustinianus praestitam a se ipso gloriatur diligentiam, ut nomina rebus consequentia essent. Nec solis iureconsultis hoc genus definiendi proprium, sed et aliis; quid? quod apud Graecos quam maxime erat usitatum. Eiusmodi enim nominabatur definitio ὀνοματῶδης ἐσιάδης, subintellesto vocabulo ὀρεγμον, nominis nimirum ὀνοματῶδης, rei vero ἐσιάδης. Quam ob rem eo minus est, cur iureconsulti veteres a nostratis reprehendantur, qui exemplaria graeca felicissimis imitationibus expresserunt. Sed age rem exemplis probabimus.

§ VIII.

Itaque ut appareat vel antiquissimos veterum iureconsultos, qui Dialecticorum praceptis essent instructi, hoc usos esse artificio, Seruui definitionem tutelae, quam PAVLVS l. 1. D. de tut. exhibit, in testimonium aduocabinius. Est autem illi tutela vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem suam se sponte defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Nos autem hic eos confutando, qui hanc tutelae definitionem reprehenderunt, lectores defatigare nolumus neque demonstrare, quantum ei insit artis, quum vis ac potestas a Seruio coniungantur; caput liberum elegantissime pupillus dicatur, quidque valeat denique vocabulum sponte et illa adiectio, iure ciuili data ac permissa. Quo eo magis supercedere possumus labore propterea quod id optime Euerardus OTTO in vita huius iureconsulti et singulari prolusione

III.

III. GEB AVERVS nec non MARANVS Parat. D. de tef. tut. p.
 428. exposuerunt: vnum tantum Seruui videanius artificium in con-
 iungenda nominis ac rei definitione, tuendi vocabulum usur-
 pando. Tutela enim a tuendo est: id quod non modo Iusti-
 nianus *Infl. sub tit. de tut.* testatur, sed etiam Gellius *lib. 12.*
c. 3. tutorem aiens a tuendo dictum, Tueor autem latinis
 primario est: video, specto, inspicio: secundario: defendo,
 inspiciendo curo. Hinc bene *Varro l. 4. de ling. lat.* Tueri
 duo significat, vnum ab aspectu, vt dixi: vnde est illud: Tu-
 eor te senex? Proh Iupiter! Et quis pater aut cognatus volet
 nos contra tueri? alterum a curando, ac tutela, vt cum dici-
 mus, bellum tueor, et tueri villam. Idem ergo, qui artem
 professi sunt, iure consultorum pater dixisset, si huius loco
 ad defendendum illum posuisset, sed vt nominis simul notati-
 onem traderet, vocabulo tueri magna cum prudentia maluit
 vti. Nec minus terse *Paulus l. 57. de V. S.* nominis et rei
 definitionem in magistratu describendo coniunxit: Cui praecipua
 cura rerum incumbit, et qui magis quam caeteri diligenter
 et follicitudinem rebus, quibus praesunt, debent, hi magis-
 tri adpellantur: quin etiam ipsi magistratus per deriuatio-
 nem a magistris cognominantur. Vnde etiam cuiuslibet disci-
 plinae praceptoribus appellari a monendo vel monstrando. Sub-
 intelligendum vero est vel vocabulum: scribunt, sive aliquod
 simile; vel infinitiuus ponitur loco praesentis, historicorum,
 aut comicorum more. Duplex hic cernitur notatio vocabuli
 altera in illis: magis quam ceteri, quae etiam Criticorum
 est, altera vero in his: monendo et monstrando, quare
 utramque belle coniunxit iureconsultus, hacque coniunctione
 ipsam rem scitissime explicauit. Nulla enim magistri magistratus-

ue



ue adfectionibus conuenientior notatio reddi poterit, quia et re ipsa magister et magistratus magis ceteris praestant. Sic nominis notatio cum rei notione conuenit et breui verborum compendio indicatur, in quo vtique certinat artificium miris modis excellens. Simili consilio *Marcianus lib. 4. regularum* quid sanctum sit, expliciturus non in eo substituit, ut tantum adfectiones sanctum determinantes demonstraret, vel tantummodo rei afferat definitionem, sed prudenter addit, cur hoc vel illud sanctum dicatur, et a qua descendat sancti nomen origine. Quo sane effecit ut eo magis atque facilius substantia et attributa sancti cognoscantur. Sic enim *l. 8. D. de diu. rer.* Sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. Sanctum autem dictum est a sagminibus: sunt autem sagmina quedam herbae quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret; sicut legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur cerycia. Non morabimur Paullum in *l. 5. D. d. V. O.* quia illustre exemplum definitionum vtriusque generis artificiosissime coniunctarum, quod ibi obuenit, nostra interpretatione non eget. Sic ille: Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut appromissores quoque ab eo accipientur, id est, qui idem promittunt. Satis autem accipere dictum est eodem modo, quo satisfacere. Nam quia id, quo quis contentus erat, ei praestabatur, satisfieri dictum est: et similiter quia tales, quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur, ut verbis obligarentur, satis accipi dictum est. Quis denique obligationis descriptionem vituperet, quae in prooem. tit. *XIV. L. III. Inft.* habetur. Cum enim obligatio dicitur vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluenda, nonne per se patet, rei definitionem necessitatis vocabulo alicuius rei soluendas perfici cetera verba, vincu-

vinculum intris, quo adstringimur, cur obligationes morales
 vocabulo a corporum ligamentis translato nuncupatae sint, ele-
 gantius atque apertius, quam quisque reprehensor valuerit, indi-
 care. Denique in itineris, actus, et viae descriptionibus, quis idem
 veterum prudentum artificium non animaduertat? Iter enim ius
 eundi atque ambulandi hominis dicitur, nempe ut ambulationis
 vocabulum rem ipsam explicet, eundi autem verbum origina-
 tionem itineris prodat. Quod et in actu exponendo sic
 factum est, ut iumenti vel vehiculi mentione res ipsa
 sine ullo perspicuitatis detimento noscatur, quanquam
 agendi verbum notationis causa appositum. In viae autem
 explicatione et hoc, de quo sermonem facimus, artificium, sane
 ex mente veterum, quibus via ab eundo dicta, videbatur, et
 aliud longe ignotius nec minore laude concelebrandum cerni-
 tur, cuius me in scholis Excell. PRAESIDIS admonerere recordor.
 Nempe cum eundi vocabulum diuersos significatus, et inter-
 dum maiorem, interdum minorem habeat potestatcm, siquidem
 etiam exercitus cum omnibus impedimentis ire dicitur, id qui-
 dem in viae expositione, quam veteres iurisconsulti afferunt
L. I. D. de seru. Praed. Ruf. antepositum est agendi atque ambu-
 landi vocabulis, ut eius vis e loco existimari posset, et ratio-
 nis adiectae veritas elucesceret: nam et actum et iter in se via
 continet. Sed cur, quaeſo, plures addendo eiusmodi definitiones
 moremur lectorē? quibus veterum iureconsultorum sic re-
 ferti sunt libri, ut eos totos propemodum exscribere nos opor-
 teret, si singulorum adducere vellemus, quae hanc ad rem fa-
 ciunt effata. Sufficient, opinor, haec ad consilium veterum
 iureconsultorum in coniungendis nominis et rei definitionibus de-
 monstrandum.



§. IX.

Sane ergo eum caecutire oportet, qui veterum iureconsultorum definiendi studio utilitatem abnegat. Quid, quaeſo, magis ad rerum definitiones planius explicandas conducere potest, quam ſimul addita rei definienda significatio nominis. Optime Epictetus ait: initium doctrinae, nominum confederatio. Dignissimum igitur quod praedicauimus veterum conſilium obſeruatione noſtra atque imitatione! Certe non ex caeca Stoicorum aemulatione, ſed ſola moti utilitate id fecere; nedum tam inepti in eo fuerint, quam eos iudicare plerisque placet, licet rem proprius recuſent percutiari. Si enim non transitorie, ſed magis veritati utilitatique intenti eorum ſcri- ta euolueremus, non tam duri euaderemus in definitionibus ipsorum notandis, ſed omnem potius iis imitandis operam daremus. Quia in re quam mirifice versatus fit magnus ille iureconsultorum heros Cuiacius, dici omnino vix potest, quum nulla fere res in iure Civili obſeruatione noſtra digna fit, cuius non ipſe ſolum definitionem a veteribus allatam egregie explicuerit, atque defenderit, ſed et aliam interdum substituerit ſuo ingenio feliciffime elaboratam, in quibus ſunt bene multae, vbi verbi notationem cum rei finitione coniunctam artificioſe videas. Sed earum exempla commemorare prohibet chartarum angustia, et alio forte tempore vir doctior dabit de eodem argumento meliora.



HVMA-

HUMANISSIMO AC DOCTISSIMO
CHRISTIANO FREDERICO
I O B I O
S. P. D
S E G E R V S

Quem mibi obtulisti libellum super argumento for-
uitis meis sermonibus commendato scite dili-
genterque elaboratum, et si in eo perlegendo de-
siderabam exemplorum varietatem et multitudinem, quibus me-
lius quam praeceptis videtur talium rerum veritas approbari
posse, tamen, cum lectio[n]em optimorum librorum et non vulga-
rem iuris civilis cognitionem proderet, non dubitau[im] protinus TIBI
teddere nulla omnino litura mea interpunctum, neque ullis accessio-
nibus locupletatum. Nolui enim semi TVAM redire, quam totam
TVAM esse opera ingenioque merueras, scriptam in breues
academicos usus disputatiunculam. Nec puto lectorem quem-
piam iuuenilia forte peccata hic illic obvia moleste acerbeque
reprehensurum esse, cum alia ab adolescentibus debeant, alia ex-
pectari a viris exercitatis et per maturitatem doctrinae ali-
quam

quam plenitudinem consecutis. Caeterum si quis iniquior censor, cuius modi bene multos vitio creatos hoc seculum videt, nihil iuuenturi condonaturus lateat, huic ego palam affirmo, et alacre in TE ingenium esse, et iudicium limatum, diligentiam autem talem, qualem rarissime vidi huic iuri ciuili nauaram, denique animum candidum, humanitatis plenissimum, integerrimum, ut et optima quaeque in posterum de TVA eruditione sperare liceat, et ciuilia possint negotia fidei ac dexteritati TVAE tuto concredi. Quod tantolibetius testor, quanto pluribus experientis officiosissimam TVAM voluntatem cognoui. Macle igitur esto TVA virtute, et prosperis in omni vita successibus fruere, nostri autem affectus, quo dexteritatem doctrinamque TVAM prosequimur, memor viue! Scripsi Lipsiae Prid. Id. April. an.

CLIOCLXVI.




ULB Halle
003 719 014

3



1078





Farbkarte #13

B.I.G.



DE
S I L I O
E C O N S V L T O R V M
E N D I S N O M I N I S
F I N I T I O N I B V S
M I V R I S C I V I L I S
O R D I N I S I N D V L T V
E S I D E
H I L O S E G E R O
P H I L O S O P H I A E D O C T O R E
O R D I N A R . S V B S T I T
T O R V M A D S C R I P T O
L . A N . C I C I C C L X V I I .
N D V M P R O P O S V I T
C T O R
F R I D E R I C V S I O B
N I C E N S I S
P S I A E
A E L A N G E N H E M I A E

1767, 35.
892.